

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3506

**Auteur(s) :** Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Notre-Dame-la-Ronde (église)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1252, mars

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Eudes, archevêque de Rouen, établit le statut de l'église Notre-Dame-la-Ronde.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 500, p. 88-89.

## Dissertation critique

L. Delisle remarque : « Pendant le mois de mars 1251-2, Eudes Rugaud ne séjournait à Rouen que depuis le samedi 22 jusqu'au samedi 29, qui était la veille de Pâques. C'est donc entre ces deux dates qu'il faut rapporter la présente ordonnance » (DELISLE, Cartulaire normand, p. 89, n° 500, n. 5).

Texte établi d'après a

Frater Odo, permissione divina, Rothomagensis ecclesie minister indignus, universis presentes litteras inspecturis, salutem eternam in domino Jhsu Xpisto. Prisca prudentum auctoritas justa petentium desideria assensu facili recipienda esse decrevit, et affectu benivolo prosequenda. Ad quod tanto pre ceteris nos esse convenit prioniores, quanto ad id officii nostri debitum specialius nos astringit, presertim ubi vota petencium cultum divinum, ad Dei honorem et animarum salutem, sinunt augmentari. Eapropter excellentissimi domini Ludovici, Dei gratia, Regis Francorum illustris, facta petitio, super reformatione et ordinatione status ecclesie Sancte Marie Rothonde Rothomagensis, assensum facilem, effectum validum et maturum apud nos merito debuit obtinere. Attendens enim et dolens idem dominus Rex in dicta ecclesia, in qua sunt tres prebende pingues redditibus, quarum collatio ad ipsum pertinere dinoscitur, cultum divinum, libertates ac jura ecclesie, non solum diminui, sed perire, propter continuam canonicorum absenciam, qui nunquam resident in ecclesia memorata, nec residere tenentur, secundum consuetudinem in ipsa ecclesia hactenus observatam, a nobis spontaneus requisivit, quod tanto incommode salubre remedium adhibentes, ac utilitati ecclesie ipsius providentes in posterum, de redditibus ecclesie, prebendarum et vicariarum numero et valore, de modo percipiendi proventus, quotidianasque distributiones, ac certa residencia ibidem a canonice de cetero facienda, aliisque omnibus ad reformationem status sepedicte ecclesie et divini cultus augmentum pertinentibus, prout, secundum Deum, ipsi ecclesie et animarum saluti nobis expedire videretur, ordinare ac statuere curaremus. Nos igitur petitioni tam pie, tam laudabili, tam devote, grato concurrentes assensu, deliberatione super hiis habita diligenti, ordinavimus et statuimus de premissis in forma inferius annotata.

Ordinamus atque statuimus, quod, post decessum trium canonicorum, qui ad presens residere in dicta ecclesia non tenentur, redditibus prebendarum ipsorum et trium viciarum, que sunt ibidem, omnibus contributis ad invicem et collatis, constituantur et fundentur tres vicarie, quarum quilibet valeat per annum XVI libras turonensem, et quatuor prebende, quarum tres valebunt singule XL libras turonensem, et quarta L libras turonensem, de residuo autem assignabuntur presbitero curato XXI libre turonensem annui redditus, quas percipere consueverunt vicarii, qui ad presens sunt in prefata ecclesia, in oblationibus et obventionibus que sunt et eveniunt, in missis que celebrantur, in benedictionibus nubencium, et purificationibus mulierum post partum, et admissionibus post nuptias, et in missis peregrinantium, et in exequiis defunctorum, ita quod in oblationibus et obventionibus predictis, que ad ipsum curatum, de jure communi, pertinent, nichil percipient vicarii memorati. Totum vero residuum redditum predictorum convertetur in distribuciones cotidianas, percipiendas a canonicis et vicariis ibidem personaliter deservientibus, prout inferius continetur. Ordinamus etiam et statuimus quod canonicus, habiturus prebendam L libras valentem, sit decanus dicte ecclesie, presitque ceteris canonicis atque vicariis, nobisque presentetur a domino Rege, a nobis curam animarum canonicorum et vicariorum dicte ecclesie recepturus ; teneaturque promoveri ad ordinem sacerdotii infra annum, post quem in ecclesia fuerit institutus, et in ipsa continue residere ; ad que facienda astringetur in sua institutione proprio juramento. Alii vero canonici tenebuntur se facere promoveri ad ordinem subdiaconatus ad minus ; vicarii vero ad ordinem sacerdotii, infra annum a die sue institutionis numerandum, et ad hoc juramento proprio astringentur. Qui etiam vicarii tenebuntur ad faciendum ibidem residentiam personalem. Tres autem canonici supradicti tenebuntur in dicta ecclesia residere per VIII menses singulis annis, incipiente residentia in festo Sancti Michaelis in monte Gargano, vel morari in scolis per tempus predictum, in loco in quo sit studium scolarum clericorum, dum tamen primam residentiam fecerit in ecclesia memorata, ita tamen quod singulis annis, quibus scolares fuerint subtrahantur cuilibet eorum in scolis dictam residentiam facienti, X libre turonensem de fructibus prebende sue, que cedent ad augmentum cotidianarum distributionum percipientiarum ab illis qui in Ecclesia personaliter residebunt. Si autem aliquis vel aliqui eorum dictam residenciam non fecerint aliquo seu aliquibus annis in dicta ecclesia vel in scolis, nichil omnino percipient de fructibus prebendarum suarum, illo vel illis annis quibus non fecerint residentiam memoratam ; set omnes proventus dictarum prebendarum cedent illo seu illis annis in augmentum distributionum percipientiarum a residentibus in ecclesia, prout superius est expressum ; que quidem distribuciones percipientur a tribus canonicis et tribus vicariis pro partibus equalibus. Decanus vero tantumdem de ipsis percipiet quantum duo de canonicis seu vicariis antedictis. Sane distribuciones hujusmodi percipientur a decano et canonicis isto modo. Decanus et omnes canonici in ecclesia residentes, tenebuntur interesse matutinis, majori misse et vesperis, et percipiet quilibet canonicus in matutinis III denarios ad minus, in missa unum, in vesperis unum, et decanus quantum duo canonici in qualibet hora, prout est suprascriptum. Et si de fructibus prebende vel prebendarum canonici vel canonicorum non residencium in ecclesia vel in scolis distributiones ultra quinque denarios in die contigerit augmentari, due partes ejus quod accrescit percipientur in matutinis et tertia pars in missa ; et, si contigerit decanum vel canonicum in ecclesia residentem non interesse aliquibus de predictis horis, nichil percipiet de eo quod esset percepturus, si illi hore interfuisset, nisi forte ipsum abesse contigerit pro negocio de licentia reliquorum ibidem residencium, vel nisi infirmitate proprii corporis, vel causa minucionis impeditus fuerit, prout inferius continetur. Vicarii autem tenebuntur interesse matutinis et singulis horis diei, tali modo quod, si non interfuerint matutinis vel prime vel majori misse seu vesperis, nichil percipient de distributionibus illa die ; licebit tamen eis unam vel duas de aliis horis diei amittere, et nichilominus distributiones diei integre percipere. Canonici vero et vicarii in ecclesia residentes adeo gravi infirmitate detenti, quod sine corporis sui periculo non possent interesse nocturno officio seu diurno ecclesie, distribuciones integre percipient, ac si singulis horis personaliter interessent, ita tamen quod de impedimento, si in hoc assueti fuerint vel suspecti, tenebuntur fidem facere proprio juramento ; si autem ministri fuerint, percipient distributiones die minucionis et duobus immediatate sequentibus, nec tunc tenebuntur officio interesse. Presbiter vero curatus nichil de distributionibus percipiet, cum habeat oblationes et obventiones que in suis missis et vesperis ex devotione fidelium offeruntur, nec teneatur canonicorum et vicariorum officiis interesse. Dictus vero presbiter curatus non erit subjectus decano ecclesie sepedicte. Item ordinamus atque statuimus quod quilibet canonicus habens prebendam XL libras valentem conferat unam vicariam certam ac prebende sue appropriatam, quoctiens eam vacare contigerit, tenebiturque juxta consuetudinem ecclesie ipsum nobis seu successoribus nostris, qui pro tempore fuerint, presentare, ut nos seu successores nostri ipsos, si idonei fuerint, in dicta ecclesia institui faciamus. Collatio autem trium prebendarum XL libras valentium, et presentatio ad decanatum et ad beneficium habens curam animarum parochie, ad dictum dominum regem et successores suos plene et libere permanebunt, cuius juri non intendimus in aliquo derogare. Si autem super horis et modo

celebrandi divinum officium inter decanum et canonicos seu vicarios predicte ecclesie ex una parte, et presbiterum curatum ex altera exorta fuerit materia questionis, per nos seu successores nostros qui pro tempore fuerint decidetur. Per hanc autem ordinationem nostram nullum prejudicium generabitur Rothomagensi archidiacono seu nostro decano Xpistianitatis Rothomagensis, quin possint officium suum in ecclesiam et personas predictas plene ac libere exercere. Quam quidem ordinacionem nostram dictus dominus Rex vidit et intellexit ratamque habuit et sigilli sui impressione munivit. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Actum Rothomagi, anno Domini M° CC° quinquagesimo primo, mense Marcio.